

cecinit 2. Carmi. Unde opportunè Hebræus Philo de hisce panibus in lib. de victimis: *Li nos admonent temperantia inter omnes virtutes utilissimæ; pane enim contentus esse potest sectator sapientia habiturus sanum corpus, & mentem sobriam.*

1867 Et verò, ut ab hoc tenui cibo, & castigata mensa, ad Candelabri & olivarum arcanam intelligentiam deveniamus, mensa illa quidem erat Minimorum mensæ persimilis; in qua panes ferè simplices apponuntur, paterno addito salino, & salis maris piscibus: erat enim in Mosaica ea mensa nescio quid undarum id portendens: nam pro illis, *Facies illi labium aureum per circuitum.* Complutenses & Regia convertunt: *Facies ei vertibiles undulas aureas in circuitu.* Quasi ad maris undas parca Minimorum mensa parcè spectet dumtaxat, amandatis quibusvis carnibus, Siculis dapibus, jusculis Sybariticis, gulæque irri-tamentis reliquis. Sic Christus Dominus, cujus in primis parca mensa, eà Tabernaculi, & Salomonici templi præsignabatur, solo pane fruebatur, & salè, vel à primario invitatus viro. Luc. 14. 1. *Cum introisset Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum sabbato manducare panem.* Ubi Hugo rectè: *non fercula voluptatis, sed panem necessitatis.* Cibaturus Dominus magnam hominum turbam, unde cibanda cum Discipulis consultat Matt. 14. 17. qui responderunt ei: *Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces.* Ad quæ verba Chryostomus Hom. 50. miratur parcam Christi & Apostolorum mensam: *Ad discimus in hoc Discipulorum philosophiam, qualiter contempserunt escam. Duodecim enim existentes, quinque panes habebant, & duos pisces: contempnibilia illis erant corporalia, & ab spiritualibus possidebantur.* Ejusmodi extat Minimorum mensa, pane, salino, & piscibus contenta, quam tanti Deus æstimat, ut eam proluserit, & præ oculis habere voluerit, ut rem sibi jucundissimam.

1868 Rursus mensa hæc, quænam Candelabro illo à Zacharia inspecto possint commodè portendi, satis innuit. Nempe portendi reor Paulensem Franciscum, ejusque Familiam tenui canæ, & mensæ castigatæ adsciatam. Ecclesiam eo Candelabro designari universalem, lucernis verò viros vitæ sanctitate, & doctrina conspicuos, communis est interpretatio. Nil ergo vetat asserere, Minimorum Ordinem præfigurari, qui pars Ecclesiæ est ex præstantioribus. Succurrit in hanc rem bellissimè Christus Dominus apud Marcum c. 4. *Nunc lucerna incenditur, ut subter modium ponatur, aut subter lectum? Nonne ut super candelabrum ponatur? Quis unquam vidit lucernam sub modio constitutam: Si lucerna est, in candelabro ponatur; nam si subter modium sit, lucerna non erit. Quid rerum hoc est? Ostendit argutè Theophylactus ibi, in modii metaphora agnoscens epularum studium: *Erit unusquisque vestrum lucerna, qui debet poni super candelabrum, hoc est super summitatem divinæ vitæ, ut & aliis possit lucere: sed non sub modio, hoc est, sub ciborum cura: nullus enim cui cibi cura sunt, poterit esse lucerna omnibus lucens.* Quasi mundi Magister, juxta hanc Theophylacti mentem, homines pungat intemperatos, quibus de cibis parandis tota cura est; hi enim de sub modio, de sub epularum studio in can-*

Mensa Minimorum castigata.

Parca Christi mensa, & Discipulorum. Luc. 14. 1. Hugo.

Matt. 14. 17.

S. Chryf.

Per candelabrum lucernam suam præsignata Minimorum familia cum suo Patriarcha.

Marc. 4. 21.

Theoph.

Qui castigato se macerant cibo, lucerna sunt super candelabrum.

delabri heptalychni, id est, septem lucernas habentis celsitudinem venire non possunt: veniant autem illi, qui, eduliorum curâ neglectâ, castigato se macerant cibo. Certè, vel ex hoc capite, Paulensis Franciscus, ejusque alumni lucernæ sunt accensæ, quasi in aureo candelabro splendentibus ad Mundi illuminationem. Moyses Dei legem Israelitis promulgaturus è monte descendit, cornutâ facie, radios luminis vibrante instar succensæ lampadis splendidissimæ Exod. 34. 29. *Cornuta facies.* Hebraicè *charan*, id est, *splendida.* R. Abraham, *secundum splendorem firmamenti.* Quasi in ejus vultu septem planetæ prælucere, de quibus septem candelabri lucernas nonnulli explicant cum Philone, Josepho, & Hieronymo epist. 128. Sed unde, quæso, Moyses usque adeò septulustris, ut cum septulustri candelabro contenderit? Ostendebat supra n. 1850. Chrysologus; nempe à dierum quadraginta jejunio, quo ita humano detæcatus est, & exinanitus à corpore, ut *ihus S. Chrysol. Divinitatis mutaretur in gloriam; & adhuc in nostri corporis obscuro, toto fulgeret lumine Deitatis. Nec intueri eum mortalium visus posset, qui tota mortalis cibi oblitus fuerat adjumenta.* Quod etiam docent S. Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum, & Tertullianus de Jejunio c. 6. Hæc Paulensem Franciscum indignant, hæc ejus Familiam perpetuè abstinentiâ maceratam, quæ, vel hac de causa, ad instar aurei candelabri heptalychni est, Patriarcha Francisco prælucente in morem lampadis majoris. Multa hic prætermitti, auream scilicet candelabri materiam, scyphorum, sphaularum, liliorumque ornam; quæ Francisci studiosis facile erit Francisco adaptare; consulis interim è nostris Cornelio ad caput Exodi 25. v. 31. & Alcazar in Apocalypsis c. 1. v. 12. Notatione 10.

1869 Jam ergo in locum veniunt genuinè duæ illæ oleæ hinc inde Candelabro adstantes, Olivis plenæ ad exprimendum oleum. *Ei due olive super illud, una à dextris lampadis, & una à sinistris ejus.* Sunt qui per duas oleas intelligant Jesum Filium Josedechi summum sacerdotem, & Zorobabelem populi principem; vel etiam sacerdotium, & regnum: alii Moysen & Eliam; alii Enochum & Eliam; alii duo testamenta; alii duas Christi naturas, divinam & humanam; vel duas ejus dignitates, sacerdotalem & regiam. Ego verò, dum in scholis hanc Zachariæ visionem enuclearem, per candelabrum inter duas olivas locatum significari Ecclesiæ lumina, Doctores nempe, Evangelique ministros ab universo populo enutriandos, autumabam: tanti enim à Deo fit fidelium cura, Principumque beneficentia erga Ecclesiasticos ministros & Doctores, ut digna fuerit tam nobili olearum symbolo illustrari. Cæterum ad rem præsentem fatius erit dicere, duabus olivis Christum ac Deiparam præfigurari, qui sese sub uno tenore verborum *olivas* appellant: *Sicut oliva speciosa in campis.* Et quidem, cum candelabrum, & mensa ad religiosam Minimorum familiam, uti jam dicebamus, commodè spectent; duæ proinde olivæ Jesus & Maria erunt, in eadem Familia mirum in modum exaltati, eique quasi candelabro oleum gratiæ jugiter ministrantes, ut tot in illo lucernæ enutrientur, & splendeant, à quibus ipsæ pariter illuminentur olivæ, hoc splendo-

Moyse splendens à jejunio.

Due olive candelabro adstantes Jesus & Maria in Minimorum familia exaltati.

splendore, & virore item suo conspicuæ.

1870 Ideo explicans Angelus Zachariæ, quosnam illæ olivæ portenderent, subnectit v. 14. *Isti sunt duo filii olei.* Chaldaus vertit: *duo filii Principum*, id est, Principes: Aquila & Theodotion: *duo filii splendoris*, vel *claritatis*, id est, splendidissimi, clarissimi. Potest legi; *duo filii puritatis, limpidi-tatis*, nempe *purissimi, limpidissimi*: nam vox ponitur *izabar* à radice *Zabar*, id significans, ut Pagninus observat. Atqui Christus & Deipara, duæ extant speciosissimæ olivæ, duo Dei filii antonomastice, & summo opere splendidi, clari, puri, ac limpidi. Et licet utriusque puritas atque limpeditas à nullo veritatis amatore in dubium vertantur, indigent tamen illicidatoribus & luce multis ac multa; Mariana præsertim originaria mundities, de qua vel apud Catholicos aliqua est controversia, salvâ fide. Ea propter candelabro adflare reor duas olivas, ut à lucernis multis multa illis lux affulgeat; nempe ut à Minimorum non solum Christo Domino, sed Martiri etiam Virgini semper purissimæ, semper limpidissimæ splendor maximus, maximaque claritas subministretur. Quò referas dicenda infra ad v. 31. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*: cadunt enim opportunissime in Minimos Religiosos Marianæ immunitati studiosissimos. Vide etiam dicta superius n. 1820. pro speciosa olivæ symbolo ad Virginem originalis culpæ expertem omnino spectante. Ut verò rem totam solidè promoveas, contextum Vatis Zachariæ expende; qui post objectum sibi candelabrum, & olivas, subterxit: *Quis tu mons magne, coram Zorobabel? In planum; & educes lapidem primum, & exaquiabis gratiam gratiæ ejus.* Quod quidem vaticinium ad Mariæ immunitatem pertinere, fusè probavimus supra à n. 233. Nec te prætereant Prophetæ verba, quæ subnectit v. 10. *Quis despexit dies parvos? Ex Hebræo, ut ibi observavimus, transferenda; dies Minime?* Quasi *Minima* Francisci Familia id nomen trahat non invita à *Minima* Deipara, cujus dies conceptionis, *dies Minima* minime despiciendi, imò summo in honore habendi, appellantur, ut loco memorato statuimus.

Eccles. 24. 31.

Minimi Mariana immunitatis studiosi.

Zacha. 4.

SECTIO XLIII.

De eximia Jesu, ac Jesuparæ exaltatione in eruditissima, sanctissimaque Societate Jesu Religione.

Jesu & Jesuparæ familia auctore.

S. Ignatius Loyolensis.

1871 **A**desse jam conspicis sacrum nostrum Sodalitium, Religiosam clericorum, sed minimam Societatis Jesu Familiam, quæ primum ac præcipuum auctorem jure merito agnoscit JESUM; Deiparam verò, alteram, velut auctorem, nutricem, patronamque suam: qui Loyolensem Ignatium excitarunt tantæ militiæ Antesignanum, Fundatorem, Protoparentem. Adesse, inquam, conspicis æquo narrationis, & commendationis ordine postremam, inter reliquos Religiosorum Ordines ab Ecclesiastico Siracide prophetice dilaudatos: *Postremam* quidem non nisi tempore: non enim novus Ordo est, sed tantum instauratio quædam illius Religionis, quæ fuit Apostolorum, & unum dumtaxat Jesum fateatur institutorem; ad illam quippe vivendi normam, quam mundi Magister suo inprimis exemplo,

deinde etiam verbis expressit, Apollolis & Discipulis primus proposuit, persuasitque, ad illam certè eandem nostram se rota dirigit Societas, dum in suam aliorumque salutem, pari sollicitudine, & curâ incumbit. Confirmatum hoc nostrum Sodalitium fuit primò à Paulo III. Pontifice Maximo anno 1540. deinde ab eodem, anno 1543. Rursus à Julio III. anno 1550. Item à Gregorio XIII. anno 1582. & à Gregorio XIV. anno 1591. ac denique à Paulo V. anno 1606.

A multis sanctis Pontificibus confirmata.

1872 Multus essem si præclara omnia, & singularia nostri Ordinis encomia, quo summi erga charissimam Matrem inflammatus affectu, hic recensere contenderem; recensero illa solummodò, quæ conducere videantur ad nostri Ecclesiastici elucidationem. Videndi interim plures ex externis, quamplures ex nostris, qui hac de re egregiam operam navarunt: signatim noster Suarez to. 4. de Religione tractatu 10. per decem integros libros; & novissime anno 1640. eximium opus inscriptum, *Imago primi sæculi Societatis Jesu à Provincia Flandro-belgica ejusdem Societatis repræsentata.* Ubi adeo latè & eruditè agitur de *Societate nascente, crescente, agente, patiente, & honorata*, ut nihil possit luculentius desiderari pro Instituti nostri sublimitate; pro innumeris Jesuitis tum sanguine & dignitate, tum omnigenâ eruditione, doctrinâ, & sanctitate conspicuis; pro uberrimo & copiosissimo, ac planè incredibili animarum fructu, quem tulit hæctenus, & in dies fert hæc nostra Religio: pro publicis litterarum virtutumque discendarum constitutis domiciliis: pro claris concionatoribus, & fructuum ab ipsis collectorum ubertate: pro inenarrabili Societatis incremento, & penè miraculosa propagatione per Europam, per Asiam, per Africam, per Americam: pro calamitatibus & malis, quibus ab exortu suo ad hanc usque ætatem Familia nostra affecta, sed non infecta est; pressa, sed non oppressa; imò supra quam dici potest honorata, exaltata, à Deo, ab hominibus. Ad rem ergo nostram propius accedentes, statuo imprimis.

§. I.

Nostrum Jesu Sodalitium per Plateas, & aquarum Fluenta designatum à Siracide Jesu Religione.

1873 **U**t enim Petrus Berchorius Benedictinus Monachus in suo Dictionario morali, verbo *Platea*, sapienter observat, & eruditè probat, *Platea* opportunitè valde est status Religiosi symbolum. Nam sicut in civitatibus solent esse plateæ magnæ & lætæ, ubi merces venduntur, & ubi homines lucrantur, & ubi necessaria hominibus inveniuntur, sic sublimiori ratione in Religiosis Ordinibus, illis potissimum, qui proximorum salutem incumbunt, homines lucrantur, & acquirunt merita & virtutes; ibi enim inveniuntur, & venduntur omnia necessaria ad salutem: videlicet *merces Sacramentorum, documentorum, & honorum exemplorum.* Unde Judic. 17. *Vadit senex sedentem cum saccinis in plateis civitatis.* Et Apoc. 21. dicitur, quod *plateæ civitatis aurum erant mundum.* Et sicut in plateis non solum concurrunt diveritas mercium, imò etiam & di-

Platea Religiosi status symbolum.

veritas, & multitudo hominum, sic pro certo in platea Religionis non solum invenitur multiplex mercimonium bonorum operum & virtutum, imò etiam ibi est multitudo bonorum hominum & sanctorum. Tantum Berchorius: qui notat etiam ad commendationem plateæ Religiosæ, esse quidem locum amoris & dilectionis; humoris & devotionis; honoris & prelationis, dulcoris & erogationis; clamoris & prædicationis; splendoris & eruditionis. Quod fusè ille probat, adductis sacræ Scripturæ testimoniis per accommodationem.

Signatissime Iesu Sodalitium per plateas designatum.

1874 Certè hæc omnia cadunt signatissime in Sodalitium nostrum; quandoquidem ipsum juxta institutum suum, illis omnibus occupatur functionibus, quas Berchorius assignat, sed absque ulla emolumenti terreni spe, non cupiditati inferviendo, sed charitati litando. Platea quædam est, in qua facile, gratisque ea bona omnia repereris, quæ vel ad mentes illuminandas, vel ad inflammandas erga Deum voluntates necessaria sunt: facem enim præfert populis docendo, eosdemque accendit adhortando. Huc sacræ ac crebræ spectant Conciones in templis nostris, in plateis, in viis publicis: huc scholæ Theologiæ, Philosophiæ, humaniorumque litterarum; huc juventutis institutio per seminaria ac domos convictorum: huc puerorum & rudium instructio per catechesin, quod primariis etiam Societatis viris primaritim studium est, & cogitatio: huc certorum hominum Sodalitia, qui singulari bonorum operum studio se addicunt: huc frequentior Sacramentorum usus à Societate instauratus, non absque ingenti Christianæ Reipublicæ emolumento: huc solennis pietas diebus Antecinerilibus & mensura Communio generalis à Societate introductæ: huc nostri Sodalitii charitas erga pauperes morbis, peste, vinculisque afflictos: huc Jesuitarum miliones sive excursions per orbem universum, efferatas & barbaras nationes, quas ad Christum adduxerunt, tum doctrinâ, tum vitæ exemplo: huc scripta propè infinita volumina omni sacrâ doctrinâ, & humaniori eruditione referta: huc omnes nostræ functiones, artes, studia. Ecce quæ ratione in hac nostra Religiosâ & mystica platea inveniantur omnia, non vendantur, quæ ad animarum salutem necessaria sunt. Gratis concionatur, gratis peccata condonat, gratis epulum cæleste instruit, gratis sacrificat, gratis militat, gratis ministrat, gratis docet. Venale enim obsequium pretio suo suspectum est; liberale, & non in paucos, sed in omnes, provocat ad amorem. Unam omnium salutem animarum spectamus, ac Dei gloriam.

Prov. 1. 20.

1875 Rursus, Jesu Societas platea illa est, de qua Prov. 1. 20. Sapiencia foris prædicat: in plateis dat vocem suam. LXX. in plateis cum libertate agit. Per Sapienciam hic, Incarnatam Dei Sapienciam Christum Dominum intelligunt Beda, Hugo, Dionysius & alii. Lyra, Janfenius, & Salazarus Sapienciæ nomine capiunt practicam rerum honestarum cognitionem, id est, honestatem ipsam aut virtutem. Dixerim, ipsam esse sapienciam sanctitati adsociatam. Hæc foris prædicat; & in plateis dat vocem suam; dum i Societatis nostræ alumni, quæ platea quædam est, publicus & patulus Eccle-

Sapiencia sanctitati ad sociata.

sia orthodoxæ locus, vocem exprimit suam, clamat, tonat, ut ejus vox ad omnes pervenire possit, publicè docendo, ardore & spiritu concionando, è cathedra, è pulpito, in Templis, in plateis, in vicis, in foro magno, in reorum custodiis. Rectè proinde Beda de corporata Dei Sapiencia sui copiam per Apostolos, virosque Apostolicos faciente. Post resurrectionem Sapiencia foris prædicabat; quia misso desuper Spiritu, per Apostolos aperire seipsam mundo declarabat. In plateis dabat vocem suam, quia in latitudine plebium manifestè, quæ antea paucos docuerat, replicabat. Sodalitii nostri hæc est provincia: incumbere totis viribus in manifestationem, & propagationem mysteriorum Christi, ac fidei catholicæ. Sic corporata Dei Sapiencia in Jesu Societate foris prædicat, & in plateis dat vocem suam.

Bea. Nostra Societatis institutum.

1876 Aliam loci circumstantiam Siracides assignat, quæ Religiosus Jesuitarum Ordo dubio procul indigitatur: nempe ad instar Platani exaltatam esse Incarnatam Dei Sapienciam juxta redundantes fontis aquas: Quasi Platanus exaltata, educata, nutrita, erecta sum juxta aquas. Amat enim Platanus gelidi fontis aquas, & irrigationibus gaudet. Certè aqua non paludum & stagnorum, sed fontium vivens & jugiter profluens, pro appositis in sacris litteris usurpatur simbolo ad representanda Dei dona supernaturalia, & Evangelicam ipsam sapienciam, quibus animi abluuntur, & condecorantur, ac mentes illustrantur. Joan. 4. 14. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam eternam. Et c. 7. 38. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Ubi Joannes subtexit: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Isai. 8. 6. Abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio. Et cap. 35. 6. Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Et cap. 55. 1. Omnes sitientes venite ad aquas. Joel. 3. 18. Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. Zacha. 13. 1. In illa die erit fons patens domui David. 1. Cor. 10. 4. Omnes eundem potum spiritualem biberunt; bibebant autem de spirituuali, consequente eos petra: petra autem erat Christus. Proverb. 16. 22. Fons vitæ eruditio possidentis. Et cap. 18. 4. Aqua profunda verbum ex ore viri, & torrentis redundans fons sapienciæ. Et Ecclesiastici cap. 1. 5. Fons sapienciæ verbum Dei in excelsis. Et cap. 21. 16. Scientia sapienciæ tanquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons vitæ permanet. Hæc & similia alia testimonia Patres interpretantur de supernaturalibus divinæ gratiæ donis, Christianâ sapienciâ, & Evangelicâ doctrinâ, quæ ad instar sunt vivi fontis lymphas semper scaturientis.

Sapientia per aquas profuentes designata.

Joan. 4. 14. Et c. 7. 38.

Isai. 8. 6.

Et c. 35. 6.

Et c. 55. 1.

Joel. 3. 18.

Zacha. 13. 1.

1. Cor. 10. 4.

Prov. 16. 22.

Et c. 18. 4.

Eccle. 1. 5.

Et c. 21. 16.

De sanctitate & sapiencia aquis à Societate subnascentia, de qua largius bibant universi? quæ sibus bibunt velocius currat committens semper in usus universi. quæ

Isai. 12. 3.

Fontes sunt Iesu.

quæ pluribus rivis vias fecerit ignotas & extremas? Hic indubiè fons unus ex illis est, quos Isaias 12. 3. fontes Jesu appellat: Haurietis aquas de fontibus Salvatoris. Ubi S. Hieronymus legit: De fontibus Jesu: hoc enim Hebraeorum lingua Salvator exprimitur. Et quidem cum Jesu nomine divinis divinitus Jesuiticæ nostræ Familiæ indito, & ipsi nascenti velut innato, fons ei subnatus est jugis gratiæ, & doctrinæ emanantis, & scaturientis in vitam æternam. Fontem hunc vitalis aque plenitudinis perpetuæ intra se habet Sodalitium nostrum: de qua largiter bibunt ipsius alumni, & terra omnis succi inopiâ exarscens.

Cant. 7. 2.

Sunamitis tympum.

1878 Quò spectat signatum illud Sunamitidis elogium apud Salomonem Cantic. 7. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Ut enim arguè noster Alcazar ibi, Sunamitis appellatio non malè quadrat in Societatem Jesu nostram cum intuitu ad Abisag agnomen, quæ Sunamitis appellata, & ultimò nupit Davidi 3. Reg. 1. 3. Quod etiam firmat Sunamitis interpretatio, id est, captiva, vel spoliana; nempe illegata tribus votis, & spolata honore, muneribus ac cæteris mundi bonis. Igitur hujus Sunamitis umbilicus crateri ad amissum rotundo & lymphis pleno appositè assimilatur. Per umbilicum, vel interna omnia vitalia designantur, vel medium, seu meditullium in unaquaque re. Per craterem rotundum non illud significatur calicis genus, unde bibitur, sed vas, sive patera benè capax, in qua fontis manalis aqua decidit, & est semper plena, la taxa, la copa dela fuente; quæ de suo habet, & semper in aliorum usus redundat, ac proinde vas in eam aquæ effusis minime indigeat. Commendatur ergo in Sodalitii nostri meditullio, seu internis omnibus vitalibus, fons gratiarum & Christianæ sapienciæ jugiter manans, quibus ipsum in primis perpetuò sit plenum, quasi fontis patera; deinde ad alios per canales suos redundat; juxta sanum illud mellitii Abbatis monitum ser. 18. in Cantica. Si sapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic siquidem penè simul recipit, & refundit: illa verò donec impleatur expectat; & sic quod superabundat, sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deteriorem. Atqui Societatis Jesu alumni illud in primis curæ est ex instituto suo, ad propriam salutem, ad innocentiam vitæ, ad omnes heroicas virtutes, ad omnem sapienciam omniconatu eniti; deinde in proximorum salutem, & animarum profectum, atque omnium institutionem eodem studio incumbere. Ad instar pateræ manalis fontis sunt, quæ plena permanent jugiter, & quod superabundat, sine suo damno communicat. Rectè hic etiam Honorius Augustodunensis per umbilicum designari putat eos, qui per septem opera misericordiæ consequuntur septenarium requiei. Hi sunt (ait ille) crater tornatilis nunquam indigens (id est semper plenus) poculis: quia sunt charitate tornati, exercitio virtutis planati, poculis doctrinæ semper pleni, unde sitientes justitiam possunt abundè inebriari. Jesuitas descripsit sanctimoniam, sapienciam, doctrinam, & animarum zelo conspicuos.

Societas & propria, & proximorum saluti incumbit ut fontis concha, non ut canalis.

S. Bernard.

Honorius.

1879 Subtexit continenter sponsum Jesu de sua Sunamite Jesuitica commendans haud dubiè miram ejus fecunditatem, qua innu-

meros populos per Evangelium Christo genuit: Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. Vel juxta Tucci Tucci translationem supra laudatam: tritici ager septus rosis. Irrigantur interna omnia vitalia Societatis nostræ aquis sanctitatis & sapienciæ; promanant ubertim istiusmodi lymphæ in omnium nationum copiosam irrigationem; cumque illæ, quasi exsuccæ, aridi, & steriles essent, irriguæ tandem effectæ, tritici ager sunt, quod provenit copiosè. Triticea numerata vastissimi cujusdam agri grana; numerabis tunc innumerabilem multitudinem à dæmonum castris ad Christi signa unius Sodalitii nostri operâ traductam. Innumera millia conscriuntur Genes à Christi cultu alienæ Christo auctoritæ à Xaverio, & ab ejus sectatoribus Jesuitis, in Oriente, in Meridie, in Occidente, & ubique terrarum. De quo videlicet imaginem primi sæculi Societatis Jesu lib. 3. c. 12. Rectè subinde Reverendus Pater Abrahamus Brovius ex Prædicatorum Familia, Volumine, cui titulus, Romanus Pontifex c. 24. agens de Jesuitis nostris in Indiam à Sede Apostolica missis, ita scribit: Qui, cum intrassent, parum habuerunt, Christianos, qui jam erant, excolere, nisi & Evangelium latius propagarent, eoque inferrent, quò nunquam antea pervenerat; in Japone enim sexaginta regnorum regione, quicquid est Religionis, ac fidei, ipsi soli plantaverunt, soli regnaverunt; Deus autem tale incrementum dedidit. Atque idem dicere oportet ex Urbano VIII. in Bulla Canonizationis S. Xaverii. Ubi etiam subditur de hoc Indiarum Apostolo. Et benedictionem Patriarchæ Abrahæ Dominus spiritaliter elargitus est, ut multarum Gentium Pater efficiatur, & filios, quos Christo Jesu genuerat, multiplicatos videret, super stellas cæli, & super arenam, quæ est in litore maris: & ex eis plurimos proprio sanguine laudatos ad cælestia regna pramissit. Ob hanc igitur generosam, validam, ac propè infinitam sobolem assimilatur venter Jesuiticæ Sunamitis acervo tritici, seu tritici ager, quæ ipsa ubertim & affluenter salutari vitalique Sanctitatis & doctrinæ latice irrigavit. Ut verò exprimatur, numerosam hanc prolem Deo & Sodalitio Jesu nostro futuram ingenti gloria & exaltationi, similis prædicatur tritici cumulo, seu agro vallato liliis, sive rosis; lilia enim, ut supra statimus ex nostro Alcazare, maximæ exaltationis symbolum extant.

Pro d infinita anima. rum se es in Ecclesiam traducta à Jesuitis.

Brovius.

De Fran. Xaverio Urbanus VIII.

§. II.

Aquarum dotes expenduntur pro sanctitate, & Doctrina Societatis limpidißimis.

1880 Verum, ut sanctitatis hæc, & doctrinæ lymphæ, quæ Societati nostræ subnascuntur, atque ab illa in omnes largiter profuunt, contemplantes & potaturos summè oblectent; egregia nonnulla aquarum encomia cursim expendamus, quæ in Sodalitii nostri sanctitatem & doctrinam rectissime cadunt, plus veritati quam affectui tribuentes. Inter aquarum dotes illas in primis in pretio est, quòd limpida, purissimæque sint, perspicuæ, diaphana. De quo Plinius lib. 31. c. 3. Viruvius lib. 8. c. 5. Macrobius lib. 7. Saturnal. c. 13. Palladius lib. 9. cap. 10. Homerus apud Athenæum lib. 2. c. 4.

Aqua pura & Virgo. Atha.